



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXI. De Præcepto annuæ Confessionis. & Communionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Errorem. Eccles. Cap. CXI. De Obligat. confitendi &c. 155

ria. Coton. ubi supra num. 108. Vide infra quas. 42.

39. *Quer.* Quid sentiendum sit de Cantoribus, qui ex officio canendi vivunt, & jejunando redderentur inhabiles? *Resp.* Eos excusari à jejunio; imò ad servandam vocem posse velci ovis in Quadragesima. Coton. ubi supra num. 109. & 110. ubi hac exemptione, ait, non posse gaudere Monachos, & alios in choro canentes, quia hi non vivunt arte canendi, & debet in eis prævalere amor abstinentiæ.

40. *Quer.* An labor mentis excuset à jejunio? *Resp.* Quamvis plures DD. affirmant, & sic excusent Lectores, Judices, Consulent, Studentes &c. tamen securior est opinio contraria. Coton. num. 114. ubi num. 118. Concionatores, ait, passim esse excusandos.

41. *Quer.* An peccet contra præceptum jejunii, qui sponte assumit laborem incompatibilem cum jejunio, qui sit vel malus, vel non necessarius, ut ludus pilæ, vel coitus fornicarius? *Resp.* Peccare, quia sponte reddit se inhabilem huic præcepto servando, quamvis contrarium afferant multi moderni, quos confutat Coton. ubi supra num. 120.

42. *Quer.* An circa hanc materiam jejunii, extent aliæ opiniones damnatæ? *Resp.* Extant tres damnatæ die 18. Martii 1666. ab Alexandro VII. nempe 29. 30. & 31. quæ sic asseriebant: In die Jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, est notabilem quantitatem in sine comederit, non frangit jejunium. Item, omnes Officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii; nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio. Item, Excusantur absolute à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiam si iter necessarium non sit; etiam si iter unius diei consistant.

CAPUT CXI.

De obligatione confitendi, & communicandi saltem semel in anno.

1. *Quer.* Quid sit Pœnitentia tanquam virtus? *Resp.* Esse animi dolorem, ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Concil. Trident. sess. 14. de Sacram. Pœnit. cap. 4. Coton. Controv. 16. num. 1. dist. lib. 1. Decisiones meæ de Pœnit. Decis. 1.

2. *Quer.* An homo statim post peccatum mortale teneatur pœnitere? *Resp.* Quod licet affirmet Sylvest. verb. Contritio num. 4. tamen communiter DD. id negant; quamvis nonnulli declarent, esse obligationem de aliqua pœnitentia imperfecta, quæ saltem innuat in peccatore aliquem dolorem de peccato, ex quo non videatur contemnere Dei Majestatem, ut ait Cardinalis Pallavicinus laudatus à P. Cotonio ubi supra num. 6. Quamvis, & hanc declarationem respuat Diana part. 11. tract. 8. resol. 51. Et licet Dianæ non acquiescat Cotonius ibidem, tamen saltem prædicè videtur communior opinio Dianæ, quia qui peccant, præcipuè ex nimio odio, vel ex nimio amore, adeò delectantur commissis peccatis, ut ad ea replicanda parati sint, & ni-

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

hil cogitent de contemptu Majestatis Divinæ; quare non videtur dicendum, quod homo sit obligandus ad pœnitentiam statim post peccatum; aliàs committat aliud peccatum. Vide resolutionem plenam hujus Quæsitum in mea Decis. 11. de Pœnit. ubi DD.

3. *Quer.* An homo teneatur dolere de peccatis præteritis aliàs confessis? *Resp.* Negativè, quia dum ad memoriam redeunt, sufficit de eis non delectari. S. Thom. part. 3. quæst. 84. art. 8. & 9. nisi esset periculum delectationis morosæ. Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 2. num. 8.

4. *Quer.* An homo teneatur ad perfectam pœnitentiam in mortis articulo? *Resp.* Affirmativè, & non solum in articulo mortis, sed etiam in periculo proximo mortis. An autem hæc pœnitentia satis sit in attritione cum Confessione Sacramentali; vel requiratur vera contritio? quamvis plures Theologi dicant, requiri contritionem, & sic, quod homo in illo extremo doleat de peccatis suis ex motivo charitatis, & ex actu amoris Dei, tamen videtur id intelligendum ex consilio, non ex necessitate absoluta, quia decisum est à Concilio Tridentino, attritionem cum Confessione justificare peccatorem, ut dixi de Pœnitentia Decis. 2. Et sic Coton. ubi supra num. 9. nimis rigorosè adhæreat opinioni contrariæ.

5. *Quer.* Præter mortis articulum, seu periculum, quando sit homo obligatus ad pœnitentiam? *Resp.* Quamvis plurima de hoc asseruerint Theologi; citra determinationem Ecclesiæ, tamen cum habeamus in præfenti Præceptum Ecclesiæ, ut quisque confiteatur semel in anno, dicendum est: hominem non obligari nisi ad semel in anno pœnitendum, & hoc in Paschate. cap. Utriusque sexus, de Pœnit. & Remiss. Tribus tamen casibus exceptis. Primò, si deberet suscipere, vel administrare aliquod Sacramentum. Secundò, si occasionibus peccandi alia via, quam per Confessionem resistere non posset. Tertiò, si per præteritam culpam provocasset iram Dei contra totum populum; quod in Principibus accidere potest, ut in sacris Litteris habetur de Achab, & de Davide. Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 2. num. 4. Coton. ubi supra num. 13. ubi hos tres casus tantum necessarios censet confitendi ante tempus Paschatis. Vide me ipsum de Pœnit. Decis. 50.

6. *Quer.* An peccata venialia extra Sacramentum Pœnitentiæ remittantur ex sola contritione, vel cum sola attritione? *Resp.* Esse in hoc Theologorum discrepantiam; sed stante doctrina Concilii Tridentini sess. 14. cap. 5. dicendum, est sufficere attritionem unitam alicui Sacramento Vivorum, vel aliis bonis operibus. Coton. ubi supra num. 15. lib. 1. Controv. 16. & meæ Decis. de Pœnit. Decis. 33.

7. *Quer.* An dolor de peccatis debeat esse actualiter in Confessione, vel sufficiat, eam præcessisse, & quanto tempore? *Resp.* Securius esse, ut actualiter interveniat in Confessione: porro sufficere, si virtualiter intercedat; id est, si fuerit elicitus ab eadem voluntate, à qua & ipsa confessio peccatorum pro-

156 Erot. Eccles. Cap. CXI. De Obligat. confitendi &c.

processit; undè non est injiciendus scrupulus, si dolor elicitus sit, vel parùm ante Confessionem, vel parùm post, cum scilicet à Sacerdote datur absolutio. Coton. ubi supra, alios allegans num. 23. & Bonacin. disp. 4. de Sacram. dub. 6. num. 4. conclus. 2. Et ego quoque de Pœnitentia decis. 13.

8. *Quar.* Unde procedat obligatio confitendi peccata? *Resp.* Ex Præcepto Divino; quia cum Dominus dixerit Joan. 20. Apostolis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt, ex hoc surrexit necessitas confitendi peccata Sacerdotibus, ut scirent, an retinenda essent, vel dimittenda. Concil. Trident. sess. 14. cap. 1. & cap. 5. Coton. ubi supra num. 27. Decisiones meæ de Pœnit. Decis. 50.

9. *Quar.* An teneatur quis confiteri sua peccata, etiam in articulo mortis, quando Confessio fieri non potest nisi per interpretem, eo quia Confessarius linguam non intelligat pœnitentis; vel per scripturam, eo quia Confessarius sit surdus, vel pœnitens loqui non valeat? *Resp.* Multos Theologos docuisse, pœnitentem non teneri, quando moraliter credit habere contritionem de peccatis; quia præceptum Confessionis non videtur obligare cum tanto incommodo. Diana par. 3. tract. 4. res. 128 & 129. & par. 11. tract. 7. res. solut. 1. Porro, contrarium tenet Cardin. de Lugo de Sacram. Pœnitentia disp. 15. sect. 5. cui adhæret Coton. dict. Controvers. 16. num. 42. & 43. Quia agitur de summa rerum, nempe de periculo æternæ damnationis, ad quod evitandum, non debet reputari incommodum resultans ex scriptura, vel ex interprete, qui simul cum Confessario obligatus est ad sigillum, & reticentiam culparum. Et ita docent DD. quos allegavi, & sequutus sum de Pœnitentia decis. 50. num. 3.

10. *Quar.* An hoc præceptum obligat ad anticipandum Confessionem, si prævideatur defuturus Confessarius in fine anni? *Resp.* Esse hinc indè opiniones, sed affirmativam tanquam magis tutam esse consulendam, Card. de Lugo ubi supra sect. 3. num. 37. & Coton. num. 44. & 68. Et hoc tenui d. Decis. 50. num. 10.

11. *Quar.* An quis sit obligatus confiteri ante tempus Paschæ ob periculum oblivionis peccatorum? *Resp.* Negative, quia aliàs censeretur præceptum Ecclesiæ culpabile, dum ad semel in anno confitendum peccata se restrinxit. Coton. ubi supra num. 45. & 46. & ego dict. decis. 50.

12. *Quar.* Quando incipiat obligare pueros, & puellas hoc præceptum Confessionis? *Resp.* Quod licet Doctores ut plurimum dicant circa decimum annum pueros, non ut verò puellas; tamen communior sententia est, obligare eos, cum ad usum rationis pervenerint, quod esse solet in septennio. Card. de Lugo dict. disput. 15. num. 149. Diana par. 10. tract. 12. res. 37. & Coton. ubi supra num. 53. & 54.

13. *Quar.* An hoc præcepto annuæ Confessionis ligentur, qui eo anno non commiserunt peccata mortalia? *Resp.* Doctores te-

neret opinionem negativam, ut videre est apud Dianam par. 3. tract. 4. res. 75. & 125. Card. de Lugo d. disp. 15. num. 132. Quibus adhæret idem Coton. ubi supra num. 59. & 60. qui num. 61. dicit, aliter esse respondendum circa Religiosos, qui ex præcepto Regulæ obligantur ad Confessionem singulis mensibus; nam dicti Religiosi, quamvis mortalia non commiserint, confiteri tenentur sub mortali; eum sic eos adstringat Regula ob acquisitionem perfectionis; quamvis idem Coton. se remittat etiam in hoc ad consuetudinem Religionis. Vide dicta de Pœnitentia decis. 50. num. 6. & num. 11. ubi notavi, esse Propositionem damnatam ab Alexandro VII. asserere, quod: Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit Præcepto Ecclesiæ.

14. *Quar.* Quomodo sit computandus annus circa hoc Præceptum Confessionis? *Resp.* Quod alii tenent, esse computandum annum à Paschate in Pascha, alii à Januario in Januarius; & hanc ultimam laudat Card. de Lugo d. disput. 15. num. 157. & Diana par. 3. tract. 4. res. 81. Quia Ecclesiæ assignavit tempus Paschatis pro Communionem in cit. cap. Omnis utriusque sexus, non autem pro confessione, circa quam dixit semel in anno, & idè quis potest absque peccato differre confessionem per duos annos; si scilicet confiteatur Calendis Januarii 1697. & non amplius usque ad ultimum diem Decembris 1698. quod notat Cotonius ubi supra num. 67. d. lib. 1. contr. 16. Et scripsi dict. decis. 50. num. 9. Vide infra Quæsit. 25.

15. *Quar.* An, qui anno præterito Confessionem non fecit, teneatur in hoc præsentis anno bis confiteri? vel potius dicendum sit, expirare obligationem unà cum anno, prout expirat obligatio recitandi Horas Canonicas cum ipso die? *Resp.* Pro utraque parte extare Doctores, prout videre est apud Dianam par. 3. tract. 4. res. 130. Sed quod teneatur supplere, & sic bis confiteri, est securior opinio, quia annus non assignatur ad extinguendum præceptum, sed uti terminus, ultra quem differri non debeat; nec est ratio de Horis Canonicis, prout nec etiam de audienda Missa, quia illa sunt præcepta habentia significationem; & sic expirant transacto die Præcepti; sed confessio est pro expurganda conscientia à peccatis, cujus obligatio semper durat etiam post terminum præfixum. Coton. ubi supra num. 69. Contrariam opinionem amplexus sum dict. decis. 50. num. 10. de Pœnitentia ex rationibus, & DD. ibi allegatis.

16. *Quar.* An Papa possit vel restringere, vel dilatare tempus confitendi, aut etiam in totum abrogare? *Resp.* In totum abrogare minimè posse neque in universum, neque in particulare. Restringere verò tempus, seu dilatare pro adimplendo Præcepto, dicunt DD. posse, ubi urgens esset causa, præcipue circa particulares personas. Diana par. 11. tract. 8. res. 39. Coton. ubi supra num. 71. lib. 1. Contr. 16. d. mea Decis. 50. num. 12. ubi posui quinque causas pro licita dilatione hujus præcepti.

17. *Quar.* Quodnam sit Præceptum Communionis.

munionis, & Sacra Eucharistia sumenda? *Resp.* Præceptum Sacra Eucharistia sumenda esse præceptum divinum, quia est medium necessarium ad salutem, ut definitum est in *can. 12. Concilii Niceni; & docet S. Thom. 3. part. 2. q. 80. art. 3. Card. de Lugo de Sacram. Eucharist. disp. 16. num. 28. & seqq.* Quamvis quoad tempus sumendi debeant fideles pendere à Præcepto Ecclesiae, & à prudentia, & iudicio Sacerdotum, quibus Eucharistia dispensatio commissa est. *Coton. contrav. 15. num. 1. & 2. lib. 1.*

18. *Quer.* An Sacra Communio sit necessaria necessitate medii, id est, simpliciter, & absolute ad æternam salutem consequendam? *Resp.* Theologos esse inter se discordes, dum alii asserunt, alii negant, ut videre est apud *Dianam part. 3. tract. 6. resol. 95. & part. 5. tract. 13. resol. 28.* sed negativa videtur magis probabilis; ut tenet *P. Coton. ubi supra num. 19.* ubi notat inter cæteras hanc rationem, quod Concilium Tridentinum *sess. 13. can. 9.* explicans obligationem communicandi non vocavit hoc Sacramentum necessarium, prout fecit loquendo de Baptismo *sess. 7. can. 4. & de Pœnitentia sess. 14. can. 3.* Quamvis possit, & forsan melius responderi, eam esse necessariam necessitate medii non in re, sed in voto; & hoc etiam implicito. *Novissimè Gaspar Ivenin. in Commentar. Histor. & Dogmat. de Sacram. Eucharist. dissert. 4. quest. 9. cap. 1.*

19. *Quer.* Quale fuerit olim, & sit ad præsens Ecclesiae præceptum de Communionem recipienda? *Resp.* Olim Christianos consuevisse quotidie communicare, quod aliqui *DD.* affirmant ex præcepto. *Diana part. 8. tract. 1. resol. 27.* Alii ex devotione & fervore Spiritus. *Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 10. ad 8.* Deinde Sacra Communio mandabatur singulis Dominicis diebus. *Coton. ubi supra num. 28.* Postea frigescente devotione ter in anno iustum est ab Ecclesia communicare, nempe in Paschate, Pentecoste, & Nativitate. *cap. Et si non frequentius. De cons. dist. 2.* Tandem in Concilio Lateranensi sub *Innoc. III.* restrictum est ad solum Pascha. *cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss. Gaspar. Ivenin. dict. dissert. 4. quest. 9. cap. 2.* Et ego de Eucharistia *decis. 10. numer. 3.*

20. *Quer.* Secluso præcepto Ecclesiae, quando obliget præceptum Divinum Communionis? *Resp.* Plura à Theologis super hoc acervari; sed verior responsio est, quod aut loquimur de obligatione per se? & hæc obligat in articulo mortis. Aut de obligatione per accidens? Et hæc intrat, quoties urget gravis tentatio, quam ad superandam Eucharistia sumptio necessaria putetur. *Cardin. de Lugo disp. 16. De Sacram. Euchar. à num. 25. P. Coton. ubi supra num. 4.*

21. *Quer.* An, qui communicavit de manè extra periculum mortis ex devotione, si vesperare incidat in periculum mortis, teneatur iterum communicare? *Resp.* Esse Theologos gravissimos pro utraque opinione; & utramque esse opinionem probabilem, concludit *Dian. part. 10. tract. 11. resol. 49. &*

part. 11. tract. 7. resol. 21. Coton. ubi supra num. 5. Et ego demonstravi in meis Decisionibus *De Eucharist. decis. 23.*

22. *Quer.* An hoc Præceptum obliget morituros ex morte violenta, nempe ex laqueo, vel gladio? *Resp.* Affirmative, & ideo Iudices teneri, iisdem tempus concedere ad Confitendum, & Communicandum, ac Episcopos obligatos esse super hoc vigilare, & si opus sit, Iudices ad hoc adstringere. *Clem. Cum secundum. De Pœnit. & Remiss. Coton. ubi supra num. 7.*

23. *Quer.* Quæ sint personæ comprehensæ sub hoc Præcepto Sacrae Communionis sumendæ? *Resp.* Baptizati habentes usum rationis, & existentes in gratia, & Communionem Ecclesiae. Idem excluduntur Catechumeni, (multo magis infideles,) Pueri ante usum rationis, (quamvis olim communicarentur,) Amentes, Apostatae, Hæretici, Excommunicati, & Interdicti, quamdiu tales fuerint. *Coton. ubi supra à num. 26. & seqq. ubi num. 31.* notat, Energumenis non esse denegandam. Quod si studiosus scire cupiat materiam Energumenorum, legat d. meas Decisiones *De Eucharistia decis. 50.* per totam, ubi multa scitu digna.

24. *Quer.* Quodnam tempus intelligatur in hac re, appellatione Paschatis? *Resp.* Intelligi totos dies quindecim à Dominica Palmarum usque ad octavam Paschatis, id est, Dominicam in Albis. *Coton. ubi supra num. 36.* ubi addit, attendendum in hoc usum Ecclesiarum.

25. *Quer.* An, qui non communicavit in Paschate, remaneat obligatus ad communicandum sub pœna peccati mortalis intra eundem annum, *Resp.* Affirmative, quamvis in contrarium stent aliqui Doctores. *Diana part. 11. tract. 7. resol. 14.*

26. *Quer.* An teneatur anticipare Communionem, qui prævidet, obstiturum sibi impedimentum in Paschate? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, sed affirmativam esse tenendam, quia præceptum Communionis quoad substantiam respicit Communionem annuam, & minus principaliter tempus Paschale. *Coton. ubi supra num. 38. & 39.* ubi respondet interroganti, An, qui anticipavit, si postea in Paschate cesset impedimentum, aut iterum debeat communicare? non esse concordēs Doctores, sed asserentium esse opinionem magis piam.

27. *Quer.* An satisfaciatur huic Præcepto, qui facit in Paschate Communionem sacrilegam? *Resp.* Esse sibi met contrarios Theologos in responsione; & asserentes habere maiorem numerum. *Coton. ibid. num. 43.* Sed resistit Illustrissimus *Fagnan. in cap. Ne innotaris. De Constit. à num. 335. & seqq.* ubi dammare videtur hanc assertionem. Hodie est propositio 55. damnata ab *Innocentio XI.* circa quam legendus est *Cardenas in Crisi Theol. Dissert. 34. cap. 1. & 2.* Propositio damnata ita astruebat: Præcepto Communionis annua satisfaciatur per sacrilegam Domini manducationem.